





1766.

*

1. Ackermann: Rhapsodia questionum in foro quotidie
obvenientium neque tamen legibus decisarum. Collect. VIII
Programma, quo ordinarius senior ceterisque fac. jur.
dicæ assessores.
- 2 * Luchmannus, Gualobius Benedictus: Rhapsodia
questionum in foro quotidie obvenientium neque
tamen legibus decisarum. Coll. 13. Programma,
quo ordinarius senior et reliqui doctores fac.
jur. . . summos in jure honores Gualobio Bene-
dicto Luchmanno . . . indicunt.
3. Bauer, Hincius Gorpers, fac. jur. procuratorius:
An pactum simultaneae investiturae effectum
alienato fundo statim ateo correat, ut, surro-
gato in locum prioris alio, effectus unius des-
truat. Programma, quo summos in utroque
jure honores . . . Joanni Friderico Bauero . . .
indicunt. . .

1766.

4. Baucus, Henr. Gorpsum : De notatione testamenti
judicialis in primisque ejus, quod rursi' eorum
structo et scabris conditum valore. 12
5. Breuning, Christianus Henr : De dote filiae emans
cipatae profectitia. 13
6. Breuning, Christianus Henr : De testibus non rogatis
in testamento privilegiato parentum 14
7. Breuning, Christianus Henr : De pugna inter
aequitatem cum justitia. 15
8. Breuning, Christianus Henr : De servitute altius
tollendi. 16
9. Breuning, Christianus Henr : De valore divitiis
aut hereditatis veri heredis cum putativo. 17
10. Breuning, Christianus Henr : De fuga abridum. 17
11. Breuning, Christianus Henr : De jure bonorum
absentis. 18

1766.

12. Breuning, Christianus Henricus: De lege patris de
terminante impensas educationis sui pupilli.
13. Breuning, Christianus Henricus: De prohibitione
juris accrescendi a testatore facta in testamen-
to.
14. Breuning, Christianus Henricus: De incommotis
ex diversitate juris unius territorii.
15. Breuning, Christianus Henricus: Ita conductor res-
dem actiones et exceptiones habeat contra
tertium, quas ipse locator.
16. Breuning, Christianus Henricus: De testamenti factone
ex jure Ratisbonensi.
17. Breuning, Christianus Henricus: De periculo necessitatis
studio in jurisprudentia.
18. Breuning, Christianus Henricus: De iurebus vestrum et
res vestrae.

1766.

19. Breuning, Christianus Hunc: De damni fortuiti et
sterilitatis determinatione in remissione me
cedis.
20. Breuning, Christianus Hunc: De usu juris in colatione
et l. univ. C. non licere hab^{foribus} ~~habere~~ metro
Comitali loca sua ad extraneum trans ferre
in Saxonia.
21. Breuning, Christianus Hunc: De appignoratione
servitutum
22. Breuning, Christianus Hunc: De non usu quasi
Fidei in legato debiti.
23. Breuning, Christianus Hunc: De jure statutorio
non confirmatorum.
24. Breuning, Christianus Hunc: An testamentum conjugum
reciprocum superstiti adimat liberam testandi
facultatem?
25. Breuning, Christianus Hunc: De pecunia recessuali
sen cause trimestri de metalli fodinis solvenda.

1766.

26. Breuning, Christianus Henr: De causa conditionis
fructivae

Breuning, Christianus Henr: De jure consulto uomo.
liberā.

Breuning, Christianus Henr: De vi arbitrii circa deter-
minationem pretii in emptione et venditione.

Breuning, Christianus Henr: An jus hereditatis filius
succedat reseruo patris testamento a filio altero
inique exhereditato.

Breuning, Christianus Henr: De jure numerarum
hebdomadarum adjuncto mercaturae maxime
oeconomicae.





10120



13

F. 9. num. 8.

1766, 3.

PROCANCELLARIVS
D. HENRICVS GODOFREDVS
B A V E R

P. 397

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET FACVLTA. IVRID.
ASSESS. P. F. O. d. V. S. ET R. I. COLLEGII MINOR.
PRINCIPP. COLLEG.

S V M M O S

IN VTROQVE IVRE HONORES

NOBILISSIMO CANDIDATO

IOANNI FRIDERICO BAVERO

L I P S I E N S I

D. XX. FEBR. A. C. MDCCCLXVI.

C O N F E R E N D O S

I N D I C A T

S I M V L Q V E P A V C I S I N Q V I R I T

*an pactum simultaneae inuestiturae adiectum alienato feudo
statim adeo corruat, vt, surrogato in locum prioris alio,
effectu omnino destituatur.*

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



BRUNNEN
H. HERRICH'S GOTTESDIENST

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN





I. N. D.



Ne quis existimet, me latius vagari, et plura, quam proposui, praestare velle, vberiore quadam declaratione opus erit. Scilicet amplitudinem thematicis, quod in rubro professus sum, haec occasio respicit, ampliorem vero praesentis rei descriptionem rubri non continent limites. Causa haec est:

Titius, duorum feudorum dominus villis moritur, tribus filiis, Maeuio, Sempronio, et Caio successoribus relictis. Hi, diuisa in hunc modum haereditate paterna, vt maioris pretii fundum Perusianum, Maeuius et Caius, Africanum Sempronio relinquentes, sibi vindicent, insuper singuli reliquis in parte sibi adscita simultaneam hac lege inuestituram concedunt, vt, vasallo, ex libero arbitrio, super feudo disponere, illudque alienare liceat, modo, in euentum defecturi successoris idonei, trium millium iochimicorum summa salua sit simul inuestitis. Consilium dein capit Sempronius vendendi sui feudi. Consentit curia feudalis. Consentiant fratres, si aliud comparare feudum, ipsisque simultaneam de eo fieri inuestituram curare velit, ex quo, existente conditione, fors debita soluetur. Scipulantibus

pulantibus Sempronius promittit. Hinc, vendito africano fundo, comparatur Elifius, cuius rei certioribus factis fratribus declarat, se iisdem quae Africano inhaeserint conditionibus, simultaneam de Elifio inuestituram ipsis concessurum esse. Praeuiā hac sola declaratione, nullisque nouis hunc respicientibus fundum datis reuersalibus litteris, Sempronius fratres de Elifio simul inuestiendos Domino offert. Inuestiuntur. Simul inuestiti affirmant, sibi condominium utile in uniuerso feudo adeo esse quaesitum, ut, quodcunque haud consentientibus ipsis circa feudi vel oppignorationem, vel alienationem, inter viuos pariter, atque mortis causā, vasallus frater susceperit, corruiere debeat. Contra hic praeter partem feudi intellectualem, prima conuentione expressam, triumque millium thalerorum sorte declaratam, quod in sit pretii feudo, fratribus nequaquam obligatum propugnat. Vtrum iustius videamus. Omnes intelligent, me illud genus inuestiturae simultaneae innuere, quod ius Feudale Longobardorum plane ignorat, in Germania vero frequentius recentiori, quam antiquo, tempore vsu venit, illud quippe, quod vasallum principalem supponat, et simul inuestito aliquam quidem vtilis domini societatem, eam tamen, et possessione, et fructus percipiendi facultate penitus tribuat destitutam. Cum enim ea sit ratio inuestiturae, quantum ad Ius Feudale Germanorum originarium, neque externae iuris scientiae praeceptis mixtum attingat, ut, pluribus de eodem beneficio a domino inuestitis, cuiuslibet inuestiti ius integrum feudum affecerit, partesque concursu factae, atque adeo, defunctis, vel alia ratione semotis, qui simul inuestiti partes fecerit, superstes ex sua inuestitura integrum iure sibi feudum vindicauerit, idemque ius Germanicum nullam, nisi descendentium, successionem in feuda agnosceret, qui, quam primum diuiserint feuda, mortuo patre, sibi delata, succedendi iure in ea, quae fratribus cesserint, destituerentur, frequentissime contingere

gere debuit, vt, feuda coniunctim retinerent. Cuiusmodi coinuestitos, cum in vna eademque re concurrerent, simultanee inuestitos nominare, vtiq; fas est. Haec licet mutata non sit lege contraria inuestiturae ratio, vsu tamen destituitur, cum videamus, pluribus filiis, in feudum paternum successoribus, concedi quidem petentibus inuestituram singulis, aequae principalem, eam tamen diserte ad portionem cuius competentem refringi, eoq; ipso reliquos compelli; vt de partibus aliorum, simul, id est, minus principaliter, et succedaneo se inuestiendos curent. Vix igitur vnquam hodie simultaneam aequae principalem inuestituram inueneris. Eoque adeo frequentior necessario fieri debuit illa, quae compossessione, et fructuum perceptione caret. Beatus Parens Ioh. Godofr. cuius, donec viam, venerabor memoriam in *Dissertat. de Orig. et Progr. Communis Saxon. man. et de Forma ac Desinit. Commun. Saxon. man.* contra BOEHMERVM euicit, hoc inuestiturae simultaneae genus vt subsistat, sine vasalli consensu effici non posse. Quippe domini utilis veram inducit communionem, qua inprimis in re, ab inuestitura euentuali, siue in euentum aperturae data, differt, quae, quoniam, durante vasalli iure, feudum, prout haec est natura omnium negotiorum conditionalium, haud afficit, et praeter spem, omnino nihil tribuit euentualiter inuestito, facile supersedet vasalli consensu, quam contra inuestitura simultanea ad substantiam suam propterea exigit, quod utilis domini communio facultatem alienandi beneficii, ceteroquin, consentiente Seniore, vasallo permissam, ei, quatenus pactis non recepta, adimit. Qua in re, inter alia complura commoda ex inprovenientia, inprimis succedendi ratio ex Iure Saxonico, prae ea ex iure communi, praestat, vt, quoniam, praeter liberos vasalli, nemini, nisi simul inuestitis ius succedendi quaesitum, hi vero, nisi consentiente vasallo, simul inuestiri nequeunt; legibus concessae inuestiturae simultaneae adiectis sub-

VI

scribere, vt successionem sibi comparent, necessario debent. Quibus beneficio suo adiectis conditionibus id efficere vasallus valet, vt ipsi, quocumque libuerit modo, super feudo disponere liceat. Vt vero haec omnia prudenter fiant, quibusque mediis efficiatur, vt nullis ex parte simultanee inuestitorum subterfugis detur occasio, laudarus parens sub finem cit. *Dissert. de Forma ac Definit. Commun. Sax. mans*, satis prolixè docuit. Quo commodo quominus perfruatur vasallus ex Iure Communi, obsunt agnati, (ponimus enim adesse feudum antiquum) quibus quippe, descendentibus primi feudi acquirentis, ex huius inuestitura ius succedendi adeo firmum et perpetuum quaesitum est, vt, nisi suo delicto id sibi ademerint, illud nullo neque vasalli, neque domini directi, facto intereueri possit, vt potius alienationem, ipsis in se factam, successionem sibi delata, iure impugnent, feudumque sibi vindicent. Quae cum ita sint, quum haec sit praecipua, qua fruuntur vasalli, ex inuestitura simultanea aliis ad preces ipsorum a Seniore data, utilitas, quae in ampliandis subordinati domini iuribus versatur, quilibet facile iudicabit, vasallum hanc ipsam ob causam simultanee inuestiendos domino obtulisse. Neque est, vt hoc loco inter antiqui et noui beneficii naturam distinguamus. Haec enim ad veniam tantum, offerendi simultanee inuestiendos domino, pertinet, et hoc inuoluit, non posse extraneo hanc inuestituram, si dominus dissentiat, tribui, nisi, recens adquisito feudo, intra sexennium ab inuestitura principali computandum, vid. *Mandat. Elect. d. d. 17. April. 1700.* Feudo autem ad nos a maioribus deuoluto, ne magis remoueat consolidationis euentus, eos tantum, vt simul inuestiat dominus, vasallum iure suo exigere, quibus facultas fuerit ad inuestituram principalem adspirandi. Scilicet non est dubium, defuncto patre, recte omnes eius filios, vel centum numero, si fieri possit, ex iustis nuptiis procreatos a domino directo petere, vt sibi inuestitura de feudo

feudo olim paterno fiat. Quum vero principalem iure suo inuestituram petant, quis de simultanea dubitauerit. Si quidem, cui licet, quod plus est, non potest non, quod minus est, non licere. Modo consentiat hoc etiam loco principaliter inuestitus, cui, quia diuisione inuestiturae vinculum soluitur, dissentire licet. Patet ex his, pariter in antiquo feudo, atque nouo, vasalli solius beneficio acceptam ferre simultanee inuestitum domini utilitas, qua gaudet, particulam. Ex quo simul consequitur, quum, qui habere commodum velit, onus itidem agnoscere debeat, conditiones omnes inuestiturae simultaneae adiectas ab inuestito specificè esse adimplendas. Etenim pure concessio hoc iure, et iam absoluta alienatione huius partis utilitas domini, quia quilibet gnarus esse debet eius, quod ingreditur, negotii, et ad iura remissa regressus haud patet, liberius sibi reddere, quod iam restrictum esse voluit, utile dominium vasallum haud posse, agnosco. Neque tamen propterea mihi videor causam meam perdidisse. Dixi, vasallum, si alium inuestitura pactis limitata contineri patiatur, existimandum esse, conditionem suam meliorem facere voluisse. Pono igitur communem manuum pactis restrictam. Et pono adiectum esse pactum eiusmodi, quod vasallo, excepta quadam intellectuali parte beneficii ad pecuniae summam redacta, liberam super feudo disponendi, illud inter viuos, et mortis causa, alienandi, et ad haeredes alodialibus ab intestato transmittendi, potestatem fecerit, et eam quidem, quam vasallus fratribus simul inuestitis intuitu alius feudi vicissim fuerit largitus. Vt nemo dubitet, hanc fuisse mentem contrahentium, ut sibi suisque heredibus paria iura mutuo quaerant, largianturque, libertatemque, quam in alodialibus bonis domini gaudent, restituant. Obligationem hanc a curia Feudali confirmatam Maenius etiam et Caius agnoscunt, et in fundi Africani, qui cesserat Sempronio, alienationem consentiunt, modo ex pretio aliud feudem comparatur.

VIII

tur, ipsique de eo simul inuestiantur. Additae consensui eorum limitationis necessario haec esse debet ratio, ut partim adsit obiectum, ex quo, quod ex pretio feudi ipsis, in euentum deficientis masculae prolis, debeatur, solui possit. Partim, quia pretium non succedit in locum rei, et, quanquam ex pacto etiam in pecuniam deberetur successio, ex quo successerit, ius suum protestatione sibi referuasse, maior tamen fundi, quam pecuniae, est perpetuitas. Partim, ne concessione pura ius suum deseruisse viderentur. Neque enim statim, facta alienatione feudi, quem itidem in modum interdum conuenit, verum, delata demum ad ipsos successione, fors trium millium thalerorum ipsis soluenda erat. Si aliam, et ab iis, quas posui diuersam, praescriptae legis causam fingere velimus, quod videlicet animus fuerit Maevii et Caii melioribus conditionibus, quin pure inuestituram simultaneam nanciscendi, dolum hoc omnino inuolueret, qualis nemini affingitur, admissus haud patrocinator. Nihil igitur amplius postulabant Maevius et Caius, nec postulandi ius erat, nisi, ut iura ipsis antea quaesita salua conseruentur, iisque conciliaretur perennitas. Atque adeo si plenius in feudo recens quaesito ius adquisuissent, id non suo facto, verum vasalli beneficio acceptum tulissent. Quodsi vero rem praesentem, prout euenisse pono, consideramus, plures extant causae, ex quibus colligere debemus, vasallum non, nisi sub lege prius addita, fratres in simultaneam inuestituram recipere voluisse. Quippe in thesi verissimum est, quod nemo existimandus sit, suum iactare voluisse. Vasallus improles facile metuit, fore, ut dominus, imminente consolidatione, alienationem beneficii impediatur, eamque ob causam, fratribus communem manum aliusue pure ut largiatur, consultum habet. Non aequè temere Sempronius noster, priori pacto restituta domini libertate se abdicare voluisse habendus erit. Siquidem priora nouimus ad liberandum iura, quam ad obligandum.

Idque

Idque eo minus, quum pacto obligatus, et, quod in illo nitebatur, fratrum desiderio ductus, non sua sponte eos simul inuestiendos domino offerret. Obiicit, mutata forte conditione Sempronii, eiusque post continuatum per aliquod tempus improle matrimonium, vidui et senioris facti minus interfuisse, liberam retinere honorum suorum dispositionem, praesertim, si fratres, eorumque filii proximi eius ab intestato heredes fuerint. Ponam haec omnia esse vera, nihil inde lucri refers. Ut enim taceam, quod ipsum quotidiana comprobata experientia, rarissimam esse solere fratrum gratiam, nemo incicias ibit, esse sapientis, sibi ipsi necessitatem tribuendi aliis beneficii haud imponere, quod studiosius et obseruantius colere solent, quibus expectandum est, quam, qui iam acceperint beneficium, vnde nec, si rusticos exceperis, facile vllum inueneris, qui viuus inter liberos patrimonium suum distribuat. Id vero longe propius ad veri similitudinem accedit, quod Sempronius, si non generis sui, certe agri colendi, indeque colligendorum fructuum, quam cautelarum iurisprudientiae studiosior, quales plerique fundorum possessores esse solent, existimauerit, percussis iam, confirmatisque, super paterna hereditate, pactis, noua conuentione impune superfederi. Vrges. Non opus esse praesumptionibus. Nosse debuisse Sempronium communis Saxonum manus naturam, quae utilis domini communionem certa succedendi spe in euentum extinctae proles masculae, vestitam, inducat, adeoque non reuocata priore obligatione, ex nudo illius in simultaneam inuestituram consensu declarato, eademque a domino perpetrata, quaesitum coinuestitis ius esse, non diminuendum inuitis multoque minus adimendum. Largior hanc esse simultaneae inuestiturae pactis haud limitatae efficaciam, verum, deesse limitationem, nego. Agitur causa inter vasallum principalem et simul inuestitos, quae ad dominum directum haud pertinet. Neque enim de obligatione domini,

B

pro-

probandi pacta super successione feudali facta agere hac occasione, qua longiori esse instituti ratio haud permittit, constitui. Neque curo hanc, si a simul inuestito moueatur, exceptionem, quippe de iure tertii petitam. Hoc tantum quaero, si dominus consentiat, an dissentire simul inuestitus valeat, vt adeo de huius tantum obligatione agatur. Dominum directum praeter vasallum eiusque descendentes, nemo nisi simultanee inuestitus a successione in dominium utile, siue consolidatione, arceat, licetque firmissima sit simul inuestiti obligatio, ex eaque liberrimum ius allodialibus vasalli heredibus enatum, simul inuestito cum descendentes defuncto, quia nemo plus iuris, quam ipse habet, in alterum transferre valet, integrum istud ius allodialium vasalli heredum in feudo euanesceat. Neque hoc ignorabat Sempronius, vt potius, quia qualitatem iuris ipsi de feudo recens quaesiti competentis, ex obligatione, quam cum fratribus contraxerat, diiudicandam esse nouerat, eius rei certiore reddere dominum, inutile et superfluum, certe, si omiserit, innoxium iure putabat. Vt enim impetrarent condominium feudi in prioris locum surrogati fratres Sempronii, inuestitura domini sine vasalli consensu non impetranda opus erat, vt vero limitatum istud coinuestitorum ius euaderet, ipsorum consensus antiqua conuentione, nunquam ab utroque pacifcentium sublata, declaratus sufficiebat. Referant simul inuestiti, et oportet, vt referant, nec enim aliis referendi ius est, mortuo Sempronio, vasallum, vt tamen ex promisso teneantur, modo recipiant, quod ipsis debetur ex feudo, eius consentire alienationi, vel, si alienatum haud fuerit, illud Sempronii heredibus secundum pacti fines restituere, vel eius pretium, quatenus ipsorum non est, soluere. Adhuc instas nouo telo munitus, quod ipsum praeuisum minus nocebit, vt, potius, eodem te iri prostratum, confidam. Quippe pretium non succedere mones in locum rei, in singularibus transferendi dominii modis.

modis. Exin consequi, pactum inter fratres, fundi Africani intuitu, factum, pretium exinde redactum afficere haud potuisse, statim potius corruisse, atque fundus iste fuerit alienatus, et, praeuia quorum intererat, resignatione, inuestitura a domino directo emtori eius facta. Nihil tum iuris fuisse in nummis Maeuio et Caio, de fundo iam vendito antea simul inuestitis. Simulque effici, vt aliqua stabiliretur obligatio inter fratres in fundo ex hisce nummis dein comparato, ex nouo pacto fuisse petendum, hoc autem intermisso, ex sola simultanea inuestitura, quam acceperint, ius Maeuii et Cuii metiendum. Graue videtur hoc ratiocinium, sed videtur tantum, non est. Regula, secundum quam pecunia in locum rei in singularibus transferendi dominii modis non succedit, hoc vnicum innuit, eandem qualitatem surrogatam in locum rei singularis pecuniam propterea, quod surrogata sit, non induere. Quod verum concedo. Nempe vnicum nouimus feudi constituendi modum inuestituram. Nec praescriptio, quae fictam continet inuestituram, absolutam ab hac regula sistit exceptionem. Igitur, resignatione feudi ab omnibus de eo inuestitis facta, translatum est vtile dominium, sublatum simul inuestitorum, quorum id consensu factum est, condominium. Neque, quod ex praestituta regula conficitur, condominium aliquod in nummis pro feudo solutis iis quaesitum, quod vt fiat, quia nexus feudalis ex sola inuestitura, coalescit, necesse est, vt nummos in feudum vasallus offerat domino, ab eoque subordinatum, id est vtile eorum dominium recipiat, eiusque partem, qualis communi manu continetur, fratribus tribui, curet. At enim vero haec non impediunt, quominus obligatum habeamus vasallum ad praestandum id, quod intererat, non alienari feudum, indeque, quoniam, quod debebatur, post vasalli demum, eiusque liberorum sexus virilis, mortem exigi potest, simul inuestito, existente conditione actionem personalem

B 2

contra

XII

contra heredes allodiales tribuamus, vt soluant pecuniam pacto determinatam. Scilicet, extincto solo iure reali, illaesa mansit personalis obligatio, quae, dubium non est, quin, feudo ex nummis comparato, reali etiam obligatione haud restituta, illaesa perstiterit. Quod si verum est, prout verum esse agnoscunt omnes, idem pactum, licet iterum diserte repetitum non sit, restituta reali obligatione, eius diiudicandae normam potest suppeditare, debetque, quum, quod supra dixi, nec simul inuestiti aliud voluisse censendi, nec vasallus existimandus sit, conditionem, vel suam, vel heredis sui reddere deterioiorem voluisse.

Et si thematis vbertas plura conferendi argumenta copiam non denegat, diutius tamen ei inhaerere non patitur amantissimus, qui haec praefandi locum fecit, patruelis, praestantissimusque Candidatus

IOANNES FRIDERICVS BAVERVS

Lipsiae anno huius seculi trigesimo sexto natus, Patre cognomine, Facultatis Medicae in hac academia Assessore, matre Ioanna Friderica, clara ex Rochorum gente, mercatoris filia. Patris, cuius cum summo desiderio pius memoriam veneratur, nobilem in se, sanctae religionis christianae praeceptis, bonarumque artium initiis erudiendo, et vigilem curam gratus praedicat, sibi que admodum iuueni morte ereptum lugeat.

get. Eodemque grato pectore agnoscit, matrem superstitem
omississe nihil, quod ipsi commodo esse intellexerit. Istius
suasum permotus, anno aetatis decimo septimo Altenburgum,
studiorum causa, se contulit, ibique Moerlinium, Ranischium,
et Reichelium in Gymnasio docentes audiuit. Elapso biennio
Lipsiam reuersus annoque MDCCLV. Experientissimo et
Amplissimo Ludwigo, Rectoris Magnifici tum temporis te-
nente fasces, in ciuium academicorum numerum relatus est.
Ex quo, domi Othonis AA. M. vsus disciplina, Philosophiae,
Iuris Gentium et historiae Iuris Romani principia ex b. m. viris
harum artium peritissimis Müllero et Bacchio didicit. Iuris-
prudentiae Ciuilibus Elementa ab Illustri Hommelio, quem no-
bis Praesidem grauissimum pariter atque humanissimum singulis
huius fortunae memores momentis collegae singuli gratulamur,
ab hoc Illustri igitur Viro accepisse, vberimosque ex eius prae-
lectionibus percepisse fructus, vehementer gaudet. Pandecta-
rum, Iuris Canonici, Beneficarii, Publici, Criminalis, rei
iudicariae, et artis proponendi acta publica superque iis iudi-
candi, doctrinam beato parenti meo, suo, cuius pie memo-
riam colit, patruo, Illustribusque ac Celeberrimis, Zollero,
Platnero, et Sammetio acceptam refert. Quarum disciplina-
rum apparatus vt in publicum proferre et in communem con-
uertere vtilitatem liceret, nuper d. VI. Iunii a. MDCCLXII.
examen, quod pro candidatura vocatur, eiusdemque mensis
et anni d. XXV. quod pro licentia siue rigorosum audit, cum
laude

XIV

laude sustinuit. Tandem ad summos, qui dudum ipsum expectarunt, in utroque iure honores adspirat. Ob eamque causam d. XIX. Febr. hora post meridiem secunda *l. i. C. d. inoffic. donat.* publice interpretabitur, sequente vero d. XX. Febr. Praefide ILLVSTRI et SYMME REVERENDO HOMMELIO Dissertationem inauguralem, cuius rubrum est, *Rhapsodiae quaestionum in foro quotidie obuenientium, neque tamen legibus decisarum, Collectio IX.* defendet. Quibus tandem laboribus superatis collega aestumatissimus D. FRIDERICVS HENRICVS MYLIVS Facultatis Iuridicae Assessor, cui vice Cancellarii copiam promouendi dedi, iura et privilegia Doctorum, excepto iure ad sessionem in collegio nostro adspirandi, ipsi tribuet. Quae solennia vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, ET VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES praesentes illustrare, ornareque GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES et concelebrare velint, obseruantissime singulos et humanissime rogo. Scribebam Lipsiae, Domin. Inuocau. A. C. MDCCLXVI.



Leipzig, Diss. 1766 A-G

ULB Halle 3
005 360 536



TA-00







A. 9. num. 8.
1766, 3.

13
PROCANCELLARIVS
D. HENRICVS GODOFREDVS
B A V E R

P. 397

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET FACVLTAT. IVRID.
ASSESS. P. P. O. d. V. S. ET R. I. COLLEGII MINOR.
PRINCIPP. COLLEG.

S V M M O S
IN VTROQVE IVRE HONORES
NOBILISSIMO CANDIDATO
IOANNI FRIDERICO BAVERO

L I P S I E N S I
D. XX. FEBR. A. C. MDCCLXVI.
CONFERENDOS

I N D I C A T
SIMVLQVE PAVCIS INQVIRIT
*an pactum simultaneae inuestiturae adiectum alienato feudo
statim adeo corruat, vt, surrogato in locum prioris alio,
effectu omnino destituatur.*

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

